

I. N. D.
DISSERTATIO GRADUALIS;
DE

A B Y S S O
A N I M Æ,

QUAM,

*Suffragante Amplissimo SENATU Philosophico in Regia
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

VIRO MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO,

D: NO C A R O L O
M E S T E R T O N,

S. S. Th. DOCT. nec non Ph. Prim. & Ration. PROFESS.

Publice examinandam sistit

I S A A C U T T E R,

SATACUNDENSIS.

In Audit. Maj. d. XXIII. Junii Anni MDCCLXVI.

H. P. M. C.

ABOÆ impressit JOH. CHRIST. FRENCKELL.

VIRO *Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*
D: NO JOHANNI
UTTER,
SACELLANO in Orihvesi vigilantissimo.

FRATRI CARISSIMO.

Dissertatiunculam hancce, ut tesseram Fraternalis
amoris gratique animi, ob beneficia persæpe
accepta, Tibi, FRATER Carissime, offerre debui.
Quam ut benigno adspicias vultu, qua par est ver-
borum observantia, expeto. Ego vero, pro per-
enni Tua salute, assiduis ardentissimisque DEUM fa-
tigare precibus non desinam, quoad vixero Tui

FRATER CARISSIME

Amantissimus Frater
ISAAC UTTER,



§. I.



vin multa sint in rebus munda-
 nis, non dicam virium corpo-
 rumque humanorum magnitudi-
 ni, sed finito etiam hominum
 ingenio immensa & insuperabi-
 lia, nemo sane, qui suo se pede
 moduloque, ut dicitur, rite me-
 titur, nec majora quam capiat, spirat, dubitabit, fa-
 cile unquam. Quo sensu Schytarum legati Mace-
 donum Magni illius Regis Alexandri magnum spi-
 ritam, orbis totius imperium affectantis, compres-
 suri, opportune admodum, *majora inquirunt concu-
 piscis quam capis.* Curt. Lib. 7. Cap. 9. Licet enim
 terra nostra in comparatione cum vasto oceano
 totoque hoc universo vere dicatur a Seneca, *pun-*

Eum illud, quod inter tot gentes ferro & igne dividatur; at quis singula tamen ejus loca perreptando lustravit, lustrandoque mensuravit? Quam multa ibi omnem curiositatis humanæ solertiam eludentia adhuc dum abdita & inaccessa latent? Ego vero instituti memor ad Abyssum Animæ demonstrandam pergo. Humanitati vero tribuo benevoli Lectoris, ut Juvenili calamo ingenioque condonet, quod operis elucubratio materiæ dignitati non respondeat.

§. II.

Abyssus vocatur cujus amplitudo atque profunditas nullo termino est assignabilis.

§. III.

In Anima jacent notiones sopitæ, quarum nulla tangimur conscientia. Est ergo *Abyssus Animæ* obscurarum perceptionum inassignabilis multitudo.

§. IV.

Nihil in mundo est creatum a Deo, cui non aliquid simile Anima contineat. Cum vero creaturarum sit multitudo inassignabilis, facile agnosces, quot vestigia rerum in universo omnium completatur Anima. Unde perceptione naturali sed obscuro

secura, cujus ipsa nequeat conscia esse, mens representat, quidquid a Deo conditum est. Et sicuti res universi omnes perpetuis sunt obnoxia vicissitudinibus; ita fieri non potest, quin anima singulis mutationibus aliqua subinde simili perceptione respondeat. Ita certe in oculos incurrit *Abyssus Animæ* licet non nisi unica sit substantia incomparabilis.

§. V.

Nulla nobis observata res sensum afficit, in cujus actione composita non contineantur innumerabiles profecto partiales actiones, quæ singulæ quidem animæ per corpus offeruntur & imprimuntur; quarum tamen Conscientia seorsum non tangimur; ita perceptionum obscurarum nascatur inassignabilis quantitas necesse est. Quid aliud Anima esse potest quam Abyssus?

§. VI.

Perceptionum in Anima diversissimarum consecutio ex obscuris ideis intelligi potest. Sic enim experientia constat nisi viverent homines obscuro ortu ignoti publice & statim post mortem obliviscendi; nec dari posse homines virtute ac dignitate claros, clarissimos. Habent enim magnorum fluminum ad instar scaturiginem ultimam ex incele-

bri loco repetentium, Viri summi suam in obscuris parentibus originem. Pari modo in varia & cum variis seriebus commixta serie ideæ claræ & distinctæ ex obscuris nascuntur & vicissim in obscuras degenerare possunt. Sicuti enim corporis hucusque quiescere visi subitanea & vehemens mutatio in ipsa adparente quiete, rationem sui sufficientem habere potest, tenui occasione efficacissimi motus extrinsecus oblata; veluti si pulveris nitrati granulum leni frictione, flammam concipiat, & totum armamentarium pulverarium in auras repente explodat: ita & clarissimarum idearum semina in obscurioribus jacent notionibus; quæ pro re levi nata possunt fieri exstantissime observabiles.

§. VII.

Cataractam animæ perceptionum voco, si subito clara perceptio in mente nascitur, quæ in nulla alia, cujus conscii paulo antea fuisset, sui rationem habet.

§. VIII.

Cataracta perceptionum animæ genesin suam nanciscitur, ex plurium obscurarum perceptionum in animæ abyssu hucusque sopitarum & mundi improvisis mutationibus respondentium, repentina ad eundem finem collectione. Exemplo esto morborum

rum subito erumpentium, illapsus, repente coorti
 existentia, qui tacitas sui præparationes habuerunt.
 His respondent in anima perceptiones similiter oc-
 cultæ & obscuræ. Sicuti ergo ex motibus in cor-
 pore præparatoriis, morbi paroxysmum ipsum, ita
 ex perceptionibus obscuris explicare debemus mor-
 bi acerbum sensum. Perceptionum obscurarum in
 anima corpus est caussa exemplaris; ipsa vero ani-
 mæ vis perceptiva est earundem perceptionum
 caussa efficiens. Corpus determinat animæ perce-
 ptiones; nulla alioquin sufficiens exquiri ratio pos-
 set, cur vis animæ perceptiva sic nec aliter se ex-
 sereret, sed anima suas perceptiones ipsa elicit.

§. IX.

Cor imperscrutabile, Jerem. XVII. 9. est *abyssus animæ*. Si non nisi eæ in nobis dantur percep-
 tiones, quarum sumus conscii; id est si nullis af-
 ficimur nisi claris, distinctis, suum quisque pectus
 adæquate perspectum ac penitissime cognitum ha-
 beret. Quod enim nobis clarum est id non de-
 mum pervestigamus, ceu obscurum. Solus ergo
 Deus cordis perscrutator appellari non posset. Po-
 sterius cum dictu temerarium sit; perspicuum est
 innumeris perceptionibus & inclinationibus ani-
 mam affici, quæ nobis ipsis ignotæ sunt. Sed ex
 his constat utique *abyssus animæ*, cujus usus hic est,
 ut officii illius summam necessitatem agnoscas: No-
 sce

ſce te ipſum. Ceſſaret illud officium ſi nulla animi
inperveſtigabilis admitteretur Abyſſus.

§. X.

Quæ hac vice L. B. typis vulgari volui, ea
his in leviffimis pagellis jam habes. Ignofce bre-
vitati, cum plura facile invenias apud illos
Auctores, quibus hæcæ lineolas
debeo.

S. D. G.

